

rit conscientia, quod contra expressum Dei mandatum jam parcat Agago & multis, ex ejus bonis, indeque & luctam inter carnem & Spiritum exortam fuisse non immeritò censemus, ita quidem, ut Spiritus mandatum Dei exequi optaret, caro autem perversæ suæ voluntati ac appetitui repugnare noluerit. Dum ergò Saul carnem magis secutus quàm Spiritum per hujus monita ac dissuasiones internas deterreri se ab hoc facinore passus non est, actio Dei successit *concomitans*, & ulterius id non impedivit, verùm permisit, ut suo appetitui perverso satisfaceret. Atque ita tertius Dei actus, isque *Consequens*, separari ab hoc peccato non potuit, qui poenæ irrogatione absolutus est, dum Deus suam ipsi subtraxit gratiam, & potestati Satanæ eum tradidit, à quo ad plura peccata instigatus tandem finaliter impoenitens in desperationem incidit. Vide *Dannbauer. Philosoph. Phénom. III.* ubi in peculiari Tabellâ docetur, quàm commodè pariter atque verè ad hosce tres actus revocari queant omnia, quæ de Deo circa peccata hominum occupato dicenda veniunt. Absit ergò, ut Deum sanctissimum, vel respectu priorum actuum vel hujus præcipuè postremi Causam esse & Autorem peccati existimemus; quin potius ejusdem agnoscamus justitiam, quæ nec hoc pacto ad atrociam hominū delicta connivet. Plura suppeditabunt *Taufner. Diss. Apologet. IV. Meisnerus. Anthropol. Sacr. Dec. II. Diss. IV. Quest. 4.*

P O R I S M A VI.

*Omninò Diabolus hominum corpora ingreditur atque eadem obsidet.*

EXempla heic longiùs petenda nobis non sunt, cum luculentum habeamus in Textu. §. enim XV. seqq. eorum visa est à nobis sententia, qui Saulem morbo tantùm Melancholico affectum, non à Diabolo ipso obsessum fuisse statuunt, & tamen, quàm ob causam ea nobis non arrideat, simul